Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ad praefinitum tempus apostre. Paruulus ergo est qui
lacte alitur. & expers est sermonis iustitiae. Nec potest
cibum solidum sapientiae diuinae. & scientiam legis
accipere. Qui non potest spiritualiter spiritualibus con
parere. Qui nondum potest dicere. Cum autem factus
sum uir. quae paruuli erant deposui. Iste ergo ni
hil tum differt a seruo. Si uero relinquens initiorum xpi
sermonem ad perfectionem ferretur. & quae sursum sunt quaerat.
ubi xpus est. in dextera dei sedens. Non quae super terram
& contemplatur. Non ea quae uidentur. sed quae non uidentur.
Neque in diuinis scripturis sequatur occidentem litteram.
sed uiuificantem spiritum. Ex illis erit sine dubio qui non
accipiunt spiritum seruitutis iterum in timore. sed spiritum ad
optionis. In quo clament abba pater. Quid interim agat
abraham. postquam indignata est sarra. uidemus.
Eicit ancillam & filium eius. Sed tamen dat ei. utrem
aquae. Non enim habebat mater eius puteum aquae uiuae.
Nec poterat, puer haurire de puteo aquam. Isaac habebat
puteos. pro quibus & cestamina patitur aduersum philisti
nos. Ismahel autem de utre bibit aquam. sed hic uter
quasi uter defecit. & ideo sitit. & non inuenit potum.
Tu autem qui secundum isaac repromissionis es filius. bi
be aquas de uis fontibus & de puteis tuis. Aquae
non effluant foras. sed in tuis plateis percurrant. tuae